

Wiener Stadt- und
Landesbibliothek

T

201739 A

MA 9 - SD 25 - 13,5 - 925 - 117048 - 22

201789 A

PHYSIOLoGIAE
sCHEMA PARERGICON

repræsentans, & persCrVtans
PRINCIPIA CONSTITVTIVA
CORPORIS NATURALIS,
Quod Gratioſo cum consensu
REVERENDISSIMI PERILLUSTRIS
AC AMPLISSLIMI
DOMINI DOMINI

CAROLI,

Ordinis S. Patriarchæ Benedicti, Antiquissimi ac Celeberrimi Monasterii B. M. V. vulgò ad Scotos, & Telckii in Hungaria Abbatis Vigilantissimi, Sac. Cæs. Regiæque Cath. Majest. Consiliarii, Statuum Provincialium Inferioris Austrïæ Oeconomi perpetui &c.

In præfato Monasterio Mense Aprilis

Menstrui Exercitii Scholasculi ergò defendendum suscepit

Nobilis ac perdoctus Dominus


JOSEPHUS LEONARDUS STADLER, Aust. Vien.
Sub

R. P. VITALE EMBLER, ejusdem Ordinis
& Monasterii Professo.

A 201.739



IN 298.043



PARERGUM PROLEGOMENALE.

I.

Neminem Philosophorum latet vetus illud dicterium : *Logicus scit, Physicus dubitat;* perinde atque solus Logicus sibi scientiæ prærogativas vendicaret; Physicus vero non nisi cum ignorantia Magistro Arcesila rebus clarissimis dubiorum plenas obducere tenebras conriteretur, aut cum Pyrrhonicis res omnes in *naturæ* obscuritate involutas esse contenderet. Ast hanc vulgi potius, quam Philosophorum parsimiam quilibet, qui Physiologiam vel è limine lauitavit, non tantum justissimè ostracismò damnat, sed & in Utopiam usque relegandam nobiscum conclamat. Pari proinde jure & Physicum, & Logicum *scire* dicimus, dum uterque pari modo de suo objecto demonstrat veras passiones, & proprietates per cognitiones certas & evidentes. Physicus enim Tullio teste (^a) est Speculator, venatorque *naturæ*, investigans ejus principia,

48) o (48)

cipia, causas, proprietate, effectus, aliisque,
ut horum notitia & cognitione, veluti manuducatur ad perfectam notitiam corporis naturalis,
quā notitiā obtentā ultimātē quicicit. Unde Scien-
tiam, quam Physicus profiterur, afferimus esse
simpliciter speculativam, eō quod sicut in contem-
platione sui objecti ad aquati, quod est *corpus na-*
turale, ut *naturale* est, ita ut *ratio corporis* in hoc com-
plexo habeat munus objecti materialis, *naturali-*
tas locum formalis. Intelligimus autem per cor-
pus naturale substantiam physicam compositam
ex materia & forma substantialiter unitis; ly
verò naturale sumimus pro eo duntaxat, quod in
se habet naturam, quam Philosophus (b) descri-
bit esse *Principium motū & quietis*, id est, opera-
tionum sensibilium in aliquo composito. Nam
Physica per eundem Philosophum (c) circa talēm
substantiam est, in qua est principium motū & statū,
id est, quietis, quod utrumque principium melius
exprimitur per *corpus naturale*, quam per *Ens mo-*
obile: tum quia *Ens* est genus nimis remotum,
sicut ob eandem rationem haud bene pro objecto
Logicæ poneretur *Ens* rectum: tum quia nomi-
ne *mobilis* solum exprimitur una passio corporis
naturalis, videlicet motus, cùm tamen corpus
naturalē debeat continere principium radicale
motū simul, & quietis sensibilis: tum denique
quia *Ens mobile* prædicatur de principiis corporis
naturalis, scilicet de materia & forma, quæ ta-
men per se non sunt objecta *Physicæ*, sed tantum
aliquid objecti.

II.

Natura sumpta pro principio aliquo intrinseco & substanciali motus & quietis rerum, re&tè à Philosopho (d) definitur esse principium & causa motus & quietis ejus, in quo est (intellige na&tura) primo & per se, & non secundum accidens. Hinc
statuta hac definitione concludimus, rationem
naturæ nec convenire privationi, eò quòd in
ipsum motum influxu verè physico non influat:
nec accidentibus, eò quòd natura debeat esse
principium substanciale, & pars intrinseca totius
per se: nec Angelis, nec ipsi DEO, eò quòd non
sint principia operationum talium, quæ à sensibus
dependent, nisi in sensu paulò laxiore, quatenus
nempe sunt quidem entia completa, sed tamen
principia operationum sibi immanentium.

III.

Quanquam Ars dicatur imitari naturam, cámque presso, ut ajunt, pede sequi, ut vix nota
assequatur, ex vi tamen propria nequit immediate pro&ducere physicè tales effectus, quos potest natura. Fun&damen&tum est, quia ars & natura sunt causæ
diversi ordinis, quæ non producunt effectum al&terius o dinis, quam illius, in quo sunt, ut m&anifestum est in causis supernaturalibus, non nisi
effectus supernaturales producentibus. Unde
ars tantum mediæ, & directivæ, docendō nempe
modum, quō activa passivis sunt applicanda,
effacere potest opera naturæ. Cæterū an per

Chrysopœiam vera auri substantia produci pos-
sit, non minus acriter, quam utiliter disceptatur.
Cardanus (e) ita differit: *Aurum & argennum face-*
re, seu ex aliis metallis ea confucere, nemo non optare de-
bet, ut fiat; at quid horum fieri possit, difficile scitur
admodum est. Et si hoc etiam sciverimus, longè diffi-
cilis est scire, quomodo fiat. Hanc Cardani opinio-
nem oppidò confirmare videtur ipsum Chryso-
pœiorum dissidium, quippe qui nec in assignan-
da materia, nec in modo operandi consentiunt,
imò ipsum lapidem Philosophicum, à quo totum
dependere dicunt artificium, innumeris ænigma-
tum involueris contegere amant, adeò ut non
paucis lapis iste videatur *lapis offensionis, & petra*
scandali Philosophici. Verùm hæc tanta non sunt,
quin occurrant alia, quæ nobis Chrysopœiam
utut difficultem, omnino tamen possibilem non
suadent modò, sed etiam persuadent. Quare as-
serimus, non esse physicè impossibile per artem fieri posse
verum aurum mediare, scilicet applicandò activa
passivis, imò concedimus etiam factum fuisse
aliquando verum aurum ab uno, alteròve ex mil-
le millibus Alchymicorum, moraliter tamen lo-
quendo, artem hanc esse impossibilem constanter te-
nendum iudicamus, & propugnamus, quia mo-
raliter est impossibile invenire propria activa, &
passiva, quibus mediantibus posset fieri aurum;
præsertim cùm tales causæ requirantur, & sic
mirè attemperatæ, ut moraliter loquendo eas
comprehendere vix possit humana sagacitas, pro-
ut videtur constare à posteriori,

IV.

Principia corporis naturalis intrinseca generatim sumpta rectè Aristoteles (*f*) definit esse ea, quæ neque ex sese mutuò, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt, id est, vel tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à quo; nam particula ex in præfata definitione analogicè abstrahit ab habitudine tam partis componentis, quam termini à quo; ut sic enim omnia complectitur principia corporis naturalis, quod dupliciter considerari solet, nempe prout est in fieri, vel in factò esse. Priori consideratione importat ipsum fieri per mutationem, seu transitum subjecti de non esse formæ substantialis ad esse substantialis formæ. Posteriori sensu est ipsum jam factum compositum实质的, & ex suis essentialibus partibus constitutum. Huj s principia statuimus duo, materiam & formam, illius verò tria, privationem, materiam, & formam, ita ut ipsum corpus naturale in fieri formaliter tale ex parte termini à quo importet non esse, seu privationem formæ, ex parte termini ad quem ipsam formam, & ex parte subjecti materiam. Utrumque principiorum numerum desumimus ex ipso Philosopho (*g*) dicente: Quapropter ipsa principia tum duo, tum tria dicenda sunt. Dicimus in fieri formaliter tale: nam licet fortè etiam causa efficiens ingrediatur conceptum ipsius fieri accepti effectivè, non tamen per se illud constituit acceptum formaliter, cùm causa efficiens eatenus ingrediatur conce-

ptum generationis , quatenus generatio formaliter actio est , non autem quatenus est formaliter mutatio , unde ipsum fieri formaliter desumitur .

V.

Qua de re Sistema Atomistarum videtur fabulosam potius Ovidii Metamorphosim , quam genuinam corporum naturalium constitutionem exhibere , eò quòd è rerum natura tollat substancias ab accidentibus distinctas , omnésque generations & mutationes substantiales , quas tamen in rerum natura dari probant experientiæ palpabiles planè , & irrefragabiles . Quis equidem necessit de novo in ligno produci ignem , & lignum ipsum destrui : viventia quæque de novo generari , & tandem intercidere ? vel quis non sentit frigus accedente calore à substantia aquæ separari & expelli ? item dari substantiam aëris , cuius accidens est lux , & hanc auferri , quis non , nisi Tiresia cœcior sit , videt ? Mehercule ipse homo jam albus , jam niger , nunc calidus , modò frigidus est , salvâ & invariata suâ substantiâ . Imò ipsum Augustissimum Eucharistiæ mysterium infallibiliter defactò exhibit accidentia à substantiis separata , atque adeò distincta , velut Concilium Tridentinum Sess. 13. Can. 2. definit . Solent quidem Atomistæ , nescio quibus ingeniosis interpretationibus referta afferre effugia , quibus decreta Conciliorum in suum detorquere sensum contendunt ; verūm nos nihil ea moramur . Quā enim ratione nixum est illud , quō dicunt

Con-

Concilium solo nomine specierum usum fuisse, minimè verò de accidentibus mentionem fecisse. Mirabile mediusfidius effugium ! staret fortè per ipsos sive vulnere Achilles iste, nisi eidem mortiferum vulnus impegisset Concil. Colon. dum (b) dixit : *Quid enim panis vinique species aliud sunt quam species Sacramentales, & accidentia sive subiecto?* Ubi clarè elucescit Concilia in hac materia promiscuè, & nomine specierum, & accidentium uti. Nec ullò fundamento nititur illud alterum, quò assertunt remanere eadem accidentia quoad speciem, non verò quoad numerum ; etenim si anathemate dignus censendus foret ille, qui diceret, remanere in Eucharistia eandem substantiam panis, non quidem numerò, sed eandem specie ; cur non eandem censoriam virginam merere deberet, qui diceret remanere in Sacramento Corporis Christi eadem accidentia non quidem numerò, sed quoad speciem ; cum Concilia eo modo remanere dicant accidentia priora, quo modo decernunt, non manere substantiam priorem. Nec denique illorum opinionem manutenet illud effugium, quò prætendunt omnia accidentia unà cum substantia desinere, & DEUM de novo creare alia accidentia, quæ eodem modo sensuum nostrorum organa afficiunt, quò priora ; nam quomodo illud remanere dici potest, quod primùm de novo creatur? utique prius nunquam fuit, quod primùm de novo producitur ; qui ergò illud remanere potest ? Nec huic difficultati satisfaciunt dicendo, accidentia non

verè, sed apparenter solum quoad speciem remanere, quam apparentiam Christus ipse præstat immittendo ad potentiam v. g. visivam tales atomos, quales antea emittebat substantia panis & vini; quippe tum quia modus iste loquendi in hac adeò periculosa lite citra ullam auctoritatem vel Scripturæ, vel Conciliorum videtur assumi: tum quia, ut Philos. Salisbury loquitur, periculi plena est ista interpretatio; si enim substantia panis & vini in principiis Atomistarum nihil est aliud, quam mera corpuscula inter se certò quôdam modō combinata, quæ, si tangantur, certò quôdam modo vellicant tactum; si comeduntur, vellicant palatum &c. & si hoc totum sensibile etiam peracta consecratione manet (omnes enim sensus eodem modo afficiuntur post consecrationem, quô ante illam) quomodo ergo non manet substantia panis & vini? quod admittere nullus protectò Catholicorum potest. Ex quibus omnibus planum fit, nos iure merito vel ex hoc capite, missis etiam reliquis, iisque bene multis ponderosis argumentis rejicere Atomistarum corpuscula.

VI.

UNDE, quoniam quotidianò experimentò docemur, animalia & plantas nasci, ac mori, remanente semper aliquo ex iis, quæ fuerant in composito præcedente, afferimus contra quosdam Novatores, & Mastiges Aristotelis cum tota Schola Peripatetica, dari in rerum natura Materialis

riam Primam , seu subjectum formæ substantialis , ex quo & ex ipsa forma tanquam duabus partibus incompletis totum coalecit compositum . Indubitatum quippe est etiam apud Antiperipateticos , mutationes corporum non ita fieri , ut totum id , quod fuit , totaliter ruat in nihilum , & totum id , quod oritur , fiat totaliter de novo (hoc enim si fieret , tunc id , quod fuit , annihilaretur , & id , quod de novo fieret , crearetur : quod vires agentium naturalium , ut ex tractatu de causis supponimus , excedit) sed eas ita fieri , ut aliquid semper ex eo , quod fuit , remaneat in eo , quod fit , juxta tritum illud :

Ex nihilo nihil , in nihilum nil posse reverti.

Si enim nihil in corruptione cuiuslibet compo-
siti maneret , utique nec in morte hominis ma-
nebit ? ergo nec in illo triduo mortis fuit in se-
pulchro pars aliqua Christi ? qui igitur cadaver
Christi in illo triduo ab Apostolis adorari po-
tuit , si nihil de Christo superstes manerit ? cer-
te non immerito illud Apostoli adorarunt . Un-
de manifestè sequitur , aliquid de Christo cum
cadavere illo triduo remansisse intra sepulchrum .
Item quando ex ligno v. g. fit ignis , clare vide-
mus , lignum totaliter non perire , sed remanere
aliquid , quod prius fuit sub forma ligni , & jam
sit sub forma ignis &c. hoc autem aliquid , quod
remanet , nequit esse forma , cum nulla forma
secum compatiatur alteram : ergo illud aliquid ,
quod remanet , debet esse subjectum commune
utriusque formæ , quod materiam primam ap-
pete-

pellamus. Hanc Philo(hu)is verbis defini-
nit: Materiam id dico, quod est primum uniuscujusque
(corporis naturalis) subjectum, è quo quippeam eo fit
pacto, ut non secundum accidens insit, & si corruptitur
aliquid, in hoc abibit ultimum. Materiam proinde
dicimus subjectum primum, & ultimum: Pri-
mum ideo, quia nullum aliud prius supponit,
ex quo componi possit; ultimum verò ex eo,
quia dum corpus naturale corruptitur, ita re-
solvitur in materiam, ut hoc subjectum, scilicet
materia, in nullum aliud resolvi possit. Ex quo
proinde etiam inferre cum Peripateticis non ve-
remur, materiam nec posse produci per actionem genera-
tivam, vi cuius sit transitus de non esse rei ad esse
rei, præsupposito aliquo subjecto: nec posse destrui
actione productiva, vi cuius sit transitus de esse rei
ad non esse rei, manente aliquo subjecto. Quid-
quid enim est generabile, debet fieri posse ex ali-
quo præsupposito subjecto, & quidquid est cor-
ruptibile, debet posse resolvi in aliquod subje-
ctum remanens, ut omnibus notum est; atqui
materia prima, cùm sit in compositione subje-
ctum primum, aliud se prius supponere, adeoque
ex præsupposito subjecto fieri non potest, & cùm
in resolutione sit subjectum ultimum, in aliud
remanens resolvi nequit; igitur nec generabilis
nec corruptibilis est. Cæterum prædicata hæc
nil specialis perfectionis superaddunt materiæ, si-
icut forma de se generabilis, si crearetur, nil per
hoc evaderet perfectior. Unde formam pronun-
ciamus simpliciter nobiliorem materiâ, licet in
ali-

aliquibus prædicatis videatur excedere formam :
nam etiam homo dicitur simpliciter perfectior
omnibus animantibus, licet in multis excedatur
ab illis juxta illud :

*Nos aper auditu præcellit, aranea tactu ;
Vultur odorata, linx visu, simia gustu.*

VII.

Cum materia prima, de qua mox sermo nobis fuit, sit subjectum, potentia quoque subiectiva sit oportet. Ast qualisnam? itanè ab omni actu secreta, ut nec physicum, nec entitativum, nec proprium existentiale in se includat? ab actu quidem physico communiter absolvitur, ita ut ab omnibus habeatur pura potentia physica nullam ex se habens formam, sed nuda & informis ad omnes, in ordine tamen ad reliquos actus gravis inter Philosophos contentio est, ansam disceptandi forte capientes ex ipso Philosopho (k) materiam primam ita per terminos negativos definiente: *Materia non est quid, nec quantum, neque aliquid eorum quippiam, quibus ens determinatur.* Aliqui enim ex hac definitione colligunt materiam esse spoliatam omni prorsus actu proprio, tum entitativo, tum existentiali: alii vero exinde eruunt materiam quidem non esse quid completum, neque secundum se habere ullum accidens, à quo quanta, aut qualis &c. denominetur, includere tamen actum incompletum tam entitativum, quam existentiale. Et ex hac colu ducunt filum, quō aut sua texunt argumenta,

menta , aut contraria eludunt. Imprimis vero ,
ut materiæ attribuant actum entitativum asse-
runt : Materia est subjectum , ex quo aliquid
per se fit , cum insit ; non autem potest aliquid
alicui inesse , quod caret omni actu entitativo ,
cum illud foret prorsus nihil : ergo. Item Ma-
teria non est idem ens , quod est forma ; alias
enim tolleretur compositio ex utraque parte :
ergo debet habere proprium actum entitativum.
Palmaria propemodùm argumenta ; nondum ta-
men triumphant , si nimirum per actum entitati-
vum veniat id , per quod essentia constituitur
sub determinato essendi modo , & determinata
rerum specie : nam si ly habere actum entitativum
idem sit , ac habere exercitè entitatem suam po-
sitivam , seu esse extractum è statu possibilitatis ,
ultrò allatis argumentis subscribimus , eisdem-
que vietas manus damus. Verum quoniam in
hoc nobis cardo litis non vertitur ; hinc solidæ
Doctrinæ Thomisticæ adhærentes , à materia
prima omnem actum entitativum propriè talem , om-
nemque existentiam propriam removemus. Hujus men-
tis imprimis fuisse Aristotelem , deducimus ex
definitione suprà allegata : etenim si materia per se
ipsam nec est aliquid eorum , quibus ens determinatur ;
utique etiam per se ipsam non determinatur
actu , adeoque per se ipsam non est actus ? nam
sicut actuare , & determinare in sensu philosophico
idem sunt , ita etiam determinatio , & actus.
Secundò magis expressè videtur sententiæ nostræ
suffragari , dum (l) sic dicit : Materia est ens poten-

tiâ, actu autem non ens. Item (m) *Materia potentia est*, donec veniat ad speciem, quando verò actu est, iunc
 èn specie est. Plures alios textus, quibus plenâ
 sunt libri Aristotelis, non adducimus, ne lon-
 giores, quàm par est, simus. Aristoteli assen-
 titur fidelissimus ejus Interpres Doctor Angeli-
 cus, prout patet ex plurimis doctrinæ illius lo-
 cis, & præsertim ex I. p. q. 7. a. 2. ad 3. ubi ita in-
 quirit: *Dicendum, quod materia prima non existit in*
terum natura per se ipsam, cum non sit ens actu, sed po-
tentiâ tantum. Similiter omnem omnino actum in
 materia confictum annihilat, dum (n) ait: *In*
rebus invenitur aliquid, quod est potentia tantum ut ma-
teria prima, & aliud, quod est actus tantum ut DEUS.
 Nec licet obmoveare dicendo, hós textus alle-
 gatos solùm intelligendos esse de potentia physi-
 ca: nam DEUS ita est actus purus, ut exclu-
 dat non tantum potentiam physicam, sed etiam
 metaphysicam: ergò cùm materia juxta D. Th.
 sit ita pura potentia, sicut DEUS est actus pu-
 rus, pariter illa excludet tam actum physicum,
 quàm metaphysicum; extrema enim debent esse
 impermixta, & nihil ejus, quod continetur in
 uno, in altero extremo reperiri. Oppugnamur
 quidem, inquiunt AA. hoc argumentô, at mini-
 mè expugnamur constanter tenentes: hoc ipso
 quòd materia emineat suprà purum nihilum, ex
 pleátque potentiam objectivam DEI, in qua
 erat, antequam crearetur, eò ipso ex se dice-
 re actum essendi, seu entitativum: verùm & nos
 constanter sustinemus materiam hoc ipso, quòd
 sic

sit simpliciter sub potentia reali , eò ipso non
esse sub actu. Unde admittimus materiam esse
ens , & non nihil ; exinde tamen nunquam con-
sequitur , quòd sit actu ens , seu actum entis in-
cludat ; Siquidem ens secundum se ab actu &
potentia abstrahit. Imò quanquam materia in-
trinsecam aliquam entitatem habeat , hæc ta-
men intrinseca entitas materiae non est aliquis
actus , aut actualitas , sed potentialitas ; entitas
enim materiae est posse fieri ens actu per for-
mam. Denique si materia , ut est ens , seu ut emi-
net suprà nihilum , sit essentialiter actus ; ergò
erit alicujus potentiae actus , consequenter præ-
supponet potentiam priorem se? potentia autem
prima , qualis est materia , nequit præsuppone-
re priorem se , ut manifestum est , ergò. Item
si materia sit essentialiter actus , vel erit actus ,
ut importans differentiam , vel ut includens pro-
priam essentiam : neutrum dici potest ; non pri-
mum : quia materia per se ipsam nec est in de-
terminata specie , nec materia & forma in ratio-
ne entis univocè conveniunt , cùm materia so-
lùm potentia , & non nisi cum dependentia formæ suæ ens ,
forma autem utpote actus suæ per se absolute & sim-
pliciter ens : in qua tamen ratione materia deberet
univocè convenire cum forma , si diceret per se
actum differentialem propriè talem , ut ex natu-
ra ipsius differentiæ patet : non secundum : quia
ille actus essentiæ vel supponit subjectum infor-
mabile , vel non ; siquidem inter hæc non est al-
signat.

signabile medium : Si supponit , ergò erit actus informans , qualem ipsi AA. à materia removent ; si non supponit : ergò erit actus per se subsistens : consequenter materia per se subsisteret , quod de materia utpote ente imperfectissimo dici nequit . Sed inquires : quod explet potentiam realem en-titativè est actus ; sed materia explevit potentiam objectivam DEI , ut suprà dictum ; ergò . Audio , sed distingo : quod explet potentiam realem & positivam Conc. potentiam solummodo negati-vam , cuiusmodi est objectiva , quæ nimirū est mera non repugnantia ad essendum , N. Poten-tia enim objectiva , cùm non sit realis , potest per quocunque ens expleri , sive sit reale actuale , sive potentiale . Si urgeas : Materia prima actu eminet suprà purum nihilum : ergò actu est ens . R. cum Philos. Salisb. nullam esse consequentiam ; nam inter ens actuale & nihilum , sive etiam in-ter ens possibile datur medium , velut Arist. in-dicat , dividens ens in potentiam & actum , tan-quam in membra dividentia entis realiter diver-sa . Unde non valet dicta illatio , quia fit à toto diviso ad unum determinatum ex membris di-videntibus , sed potius ex allata propositione in-ferendum est : ergò vel est ens actuale , vel poten-tiale . Cæterū quòd materia nè quidem actum enti-tativum incompletè talem habere possit , cum Clariss. P. Pabenstuber sic ostenditur : si materia includeret actum incompletum , vel ad hunc ha-bet potentiam , vel non ? si habet : quæri potest iterum de hac potentia ad hunc actum , & sic

tamdiu, donec deveniatur ad aliquod primum, quod sit pura potentia ad actum. Si non habet; ergò est maxima Chymæra, quia habere actum sine potentia ad talem actum, excepto DEO, est maxima chymæra. Reliqua argumenta ex prædictis facile resolvi possunt.

Porrò alteram assertionis partem, quod scilicet materia careat a su proprio existentiæ ab existentia formæ realiter distinto, itidem expressè docet S. Doctor, velut ex q. 4. de potentia a. 3. aliisque locis patet, quos referre superfluum dumus, cum de mente Doct. Angelici non possit dubitari. Rationem fundamentalem desumimus cum Eminent. nostro Aguirre (o) ex Aristotele, qui L. 1. Phys. c 7. text. 69. & 70. dicit: Materia se ita habet ad formas naturales, sicut lignum & æs ad artificiales; sed lignum vel æs nullam habet artificialem existentiam propriam priori ad formam artificialem, sed solum potentiam passivam receptivam ejus formæ: ergò similiter materia prima non habet aliquam existentiam naturalem propriam pro priori ad formam naturalem. Nec satisfit dicendô hanc rationem esse nullam; sicut enim materia secunda formarum artificialium ad illas caret existentiæ completâ, non tamen incompletâ & imperfectâ; ita etiam materia prima ante formam naturalem non habet existentiam completam, sed tantum incompletam. Verum hoc effugium esse nullum, ostenditur cum citato: Materia secunda, scilicet lignum vel æs, pro priori ad formam artificialem

Iem non habet ullam actualitatem, nec incomple-
tam intra genus artificiale ; ergò nec materia
prima habet ullam actualitatem incompletam
intra genus naturale , adeoque nec existentiam
incompletam. Consequentia tenet, ideo enim
lignum v. g. pro priori ad formam artificialem
non habet actualitatem incompletam in genere
artis, quia est pura potentia passiva actus primi
artificialis ; sed talis potentia est etiam materia
prima , ut passim sentiunt Philosophi : ergò.
Huic stringenti rationi adjungimus & alteram
communem licet, attamen efficacem. Implicat
materiam habere actum ultimum ante primum,
atqui si materia secundum se haberet existentiam
propriam, haberet actum ultimum ante primum;
haberer enim existentiam (quæ juxta S. Th. q. de
anima a. 6. ad 3. est actus ultimus , quin haberet
formam substantialem, quæ est actus primus) ergò
materia secundum se non habet existentiam pro-
priam. Id ipsum roboramus à pari : Implicat
genus prius contrahi ad differentiam individua-
lem, quam ad specificam, & hoc ideo, quia dif-
ferentia specifica est prius, quam individualis :
ergò etiam implicat materiam habere actum ul-
timum , id est, existentiam, ante actum primum,
seu formam substantialem. Accedit : Existentia
est positio rei extra omnes causas ; sed materia
secundum se non est posita extra omnes causas ;
non enim foret posita extra causam formalem :
ergò materia non habet existentiam. Cupiunt
quidem AA, vim allatorum argumentorum elu-

dere dicendō, existentiam, quam materia sibi propriam habet, esse quidem actum ultimum in linea substantiæ, sed non completum, completerique primò per existentiam formæ &c. ast in hoc effugio nihil agnoscimus præter verba, cupimusque talem actum ultimum in aliquo genere incompletum efficaciter probari. Certe tali actus ultimus in aliquo genere incompletus posset utique in eodem genere ulterius compleri, adeoque ipse jam non esset ultimus in illo genere; ille enim actus non est ultimus, quo datur ulterior complens: ergò si existentia materiæ foret complebilis per adventum formæ, ejusque existentiam, illa non foret actus ultimus, qualis tamen existentia esse debet. Dein sicut actualis operatio est actus ultimus in linea operandi; ita existentia est actus ultimus in linea essendi substanciali; sed repugnat, ut in linea operandi detur pro signo priori naturæ ad potentiam operativam in principio operante actualis aliqua operatio etiam incompleta: ergò quoque repugnat, ut in linea substanciali detur pro aliquo signo naturæ priori ad formam (quæ est actus primus) actus secundus, seu existentia in materia etiam incompleta. Possemus hanc sententiam multis aliis argumentis stabilire, & ostendere Aristotelis argumenta (quibus contra veteres Philosophos probare conatus est, materiam simpliciter non esse nihil, licet non sit ens actu, sed potentia ens) nullius tuisse roboris, si materia foret ens in actu incompleto, quia tamen id mo-

re

re suo solito perspicuum fecit citatus Eminent. noster Aguirre, consultò omittimus. Juvat proinde AA. subterfugiis contravenire. *Opponunt primò* : Materia creatur, forma verò ut plurimū educitur : ergò materia acquirit existentiam per creationem , & non per formam. R. dist. ans. Materia creatur , ita tamen ut creatio terminetur primariò ad compositum , & secundariò ad materiam Conc. ans. ita ut creatio terminetur primariò ad materiam N. ans. Quælibet enim actio productiva terminatur primariò ad totum , secundariò verò ad partes , quæ non sunt ratione sui , sed propter totum. *Urgent* : Materia habet proprium fieri distinctum à fieri formæ : ergò etiam habet propriam existentiam. Sed N. ans. Quando enim materia fuit creata , tunc actio creativa , ut diximus , terminabatur ad totum compositum ; unde materia magis est aliquid concreatum , quam creatum , & sic non habuit distinctum fieri à fieri formæ. *Repliunt* : sed tunc forma fuit educita : ergò è materia præexistente. Sed N. conseq. Nam prioritas naturæ non infert prioritatem existentiæ , sed tantum essentiæ , & influxus , quæ potest stare inter simul existentia. *Opponunt secundò* : Materia est causa formæ : ergò debet habere existentiam ante formam. R. dist. ans. Est causa materialis , & passiva , Conc. ans. activa & efficiens. N. ans. Causa activa & efficiens dat existentiam : consequenter debet illam præhabere ; Passiva verò tantum recipit : ergò non est opus , ut prius habeat ; nemo enim recipit,

cipit, quod jam habet; sicut etiam nemo dat, quod non habet. *Instant*: Materia in illo priori, quo recipit formam, adhuc est intra nihilum, quomodo ergo causabit? Sed dist. est intra nihilum totale completum Conc. intra nihilum inchoativum N. Vel aliter: est intra nihilum actualitatis Conc. intra nihilum potentialitatis subjectivae N. *Inferuant*: ergo semper manebit nihil actualitatis? accepto illatum, sed sub distinctione: manebit semper nihil actualitatis intransitivè, id est, nunquam identificabitur cum actualitate Conc. transitivè, id est, nunquam mediane actione causæ efficientis exercitè coniungetur cum actualitate N. *Opponunt tertio*: Ens spirituale nequit existere per materiale: ergo etiam materiale, scilicet materia nequit existere per spirituale, nempe per animam rationalem. R. conc. ans. N. conseq. Ratio dispar est: ideo primum fieri nequit, quia ens materiale nec ut quod, nec ut quo est spirituale, atque adeò nullò modo ordinatum ad perficiendum ens spirituale: è contra anima rationalis est materialis ut quo: atque adeò ex natura sua ordinatur ad corpus tanquam perfectivum illius.

VIII.

Hoc præterea materiæ primæ proprium est, quod innata propensione in formas velut bonum suum feratur: quod inde fit manifestum, quod per eas compleatur, & perficiatur in ratione totius, quem in finem ordinatur à natura. Quælibet enim

enim res congenito appetitu propendet in bonum sibi proportionatum; formæ autem substantiales sunt bonum materiæ proportionatum, ejusque perfectio, quia mediantibus illis accipit existentiam, & perfectionem in specie determinata & completa: ergo. Si dicas primò: Vel materia appeteret formas, quia illis omnino caret: hoc dici nequit, quia materia nunquam est spoliata omni forma, vel quia plures formas peteret simul habere: sed neque hoc dici potest, quia plures simul habere non potest. R. causales esse falsas; materia enim illam formam, quam habet, appetit appetitu complacentiæ (loquimur per quandam analogiam ad appetitum elicitem) illas verò, quas non habet, appetitu desiderii, non quòd plures exoptet habere simul, sed successivè, & ex suppositione, si nempe priorem amitteret. Si dicas secundò: Quando materia habet unam formam, illius appetitus jam est expletus. R. est expletus absolutè & intensivè Conc. extensivè, conditionatè, seu ex suppositione, si hanc amitteret N. Si dicas tertio: Appetitus materiæ foret virtutis infinitæ, utpote propendens in formas non tot quin plures. R. ex appetitu habendi plures formas successivè arqui tantum potest virtus infinita syncategorematice talis, quam perlubenter materiæ concedimus. Si dicas quartò: Si appeteret formas absentes, tunc appeteret destructionem illius, quam actu habet, cùm destructio prioris formæ sit medium requisitum ad acquirendam formam absentes.

tem. &c. Materia non appetit formas absentes appetitu undequaque absoluto, & sic etiam absolutè & per se non appetit destructionem formæ, quam actu possidet, sed tantum conditionatè; unde etiam materia in destructionem prioris formæ fertur tantum per accidens, & negativè, quatenus scilicet novam formam obtinere non potest, nisi relinquendo illam, quam actu in se habet.

Cæterum licet materia prima ingenito impetu in omnes formas feratur, non tamen magis propendet in formas substanciales perfectiores præ imperfectioribus, sed easdem æqualiter appetit. Ratio assertionis ex eo deducitur, quod ratio formalis & motiva sub qua, aut propter quam materia appetit formas, æqualiter reperiatur in omni forma substanciali, quod inde patet; quia ratio boni, quæ appetitur à materia, in forma est sola ratio actuantis substancialiter materiam, & facientis cum illa unum per se (ex natura enim sua materia est ordinata præcisè ad hunc finem, ut faciat cum forma unum per se, & in ratione totius, recipiendò speciem physicam, compleatur) atqui hæc ratio æqualiter reperitur in omni forma substanciali, sive perfectior, sive imperfectior sit: ergo. Min. constat ex eo, quia nulla substantia suscipit magis & minus: sic licet anima rationalis cum materia faciat meliorem substantiam, quam anima v. g. leonina; non tamen facit magis substantiam, quia quælibet forma substancialis æqualiter satisfacit indigentia mate-

riæ;

ria : non enim ex alio capite materia indiget formâ , nisi ex hoc , quod sine illa nequeat substantialiter compleri , & constituere aliquod totum substantiale. Accedit , sicut natura intendit impedire vacuum, ita materia appetit compleri substantialiter ; sed natura ad hunc finem non curat, sive per corpus perfectius , sive per aliud imperfectius impediatur vacuum : ergo etiam materia non curat , sive per formam nobiliorem , sive ignobiliorum substantialiter compleatur. Similis instantia fieri potest de appetitu alicujus dolii , quod non magis appetit repleti vino generosiori , quam minus generoso , aut aquâ , cum finis illius sit præcisè repleti. Demum materia appetit formas sine omni cognitione : ergo sine ulla discretione : consequenter æqualiter. Sed quid AA ? multa quidem congerunt, ast præcipua solùm audire juvat. Dicunt primò : Forma perfectior est majus bonum , quam forma minus perfecta ; sed majus bonum magis appetitur : ergo. R. est majus bonum in se entitativè , & materialiter Conc. est majus bonum respectu materiæ appetentis, seu in ratione talis compositi , vi cuius materia magis completur N. In tantum forma est bonum materiæ , in quantum illam complet in ratione totius , quod æqualiter utravis forma præstare potest materiæ. Replicant : Forma perfectior magis perficit & complet materiam , quam forma imperfecta : ergo. R. perficit materiam in ratione formalis compositi substantialis , sub qua & propter quam materia ap-

petit formam N. perficit materiam materialiter, & per accidens Conc. Licet proinde una forma substantialis in perfectione & bonitate exceedat alteram, iste tamen excess s perfectionis, & bonitatis comparatus ad materiam primam, cuius finis est præcisè compleri in ratione totius, nihil conductit; forma enim perfectior non est magis actus primus, nec magis determinat, & specificat materiam, quam imperfecta, ut ex se clarum est. *Dicunt secundò*: Majori impetu materia fertur in formas substance, quam in accidentales: ergo etiam &c. q. disparitatem esse hanc: tum quia materia ex natura sua est magis ordinata ad constituendum cum compare substance totum per se, quam accidentale: tum quia forme substance sunt finis materiae principaliter intentus, accidentales vero tantum medium aliquod requisitum ad consecutionem finis; finis autem magis appetitur, quam medium: ergo. *Dicunt denique tertio*: Famelicus magis appetit satiari obsonio suaviore, quam minus suavi: ergo etiam &c. q. id verum esse, si finis famelici sit satiari simul & delectari, securus si finis sit præcisè satiari. Materia autem non fertur in formas appetitu delectationis, sed tantum appetitu satietatis. Sed de his satis. Nunc an materia prima ita formas substance appetat, ut sine his etiam divinitus nequeat existere, statuendum. Quare ne sensum nostrum siutiùs, quam par est, celemus.

IX.

Asserimus, materiam primam sic appetere formas substantiales, ut nec per DEI potentiam extraordinariam possit existere separata omni forma. Ita videatur contra Scot. & Rec. aperte docuisse S. Thomas cum suis, quando (p) dixit : *Dicere, materiam precedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem.* Mittimus quam plurima alia S. Doctoris testimonia, quae tam expressè sententiæ nostræ suffragantur, ut nè probabilem quidem interpretationem in oppositum recipient. Verum quoniam AA, non attenta hac in parte tanti Doctoris autoritate, rationem potius contrariam sequi solent, sententiam nostram etiam sequenti Thomistica ratione stabilimus. Repugnat absolute, ut aliquid existat sine existentia, sicut absolute repugnat, ut aliquid sit album sine albedine, figuratum sine figura, &c. sed si materia prima per potentiam DEI absolutam in rerum natura sine omni forma substantiali existeret, tunc sine existentia existeret, cum existentia materiæ sit existentia formæ, & compositi ipsius, & materia aliunde sit pura potentia, nullum includens actum, neque actum secundum (qui est actus existentiæ) habere possit sine primo, tanquam radice illius, qui est forma: sicut res aliqua nequit habere actum secundum operandi (qui est actuale exercitium) sine actu primo: ergo. Item si materia posset

posset divinitus existere sine forma substantiali, vel esset in certa specie existens, vel non? imprimis non esset: quia esset nudata omni forma substantiali, quae determinat rem ad certam essendi speciem: dein esset sub certa specie: quia in rerum natura saltem existeret sub certo genere; atqui quod sub certo genere existit, illud etiam existit in certa essendi specie: ergo materia, si posset divinitus existere sine forma substantiali, existeret, & non existeret in certa specie, quod implicat contradictionem. Frustra igitur contendunt primò AA. enervare sententiam Angelicam dicendò: Humanitas Christi defactò existit non existentiâ ipsius animæ, sed Verbi Divini: ergò &c. Secundò: Non est major conexio materiæ cum forma, quam accidentis cum subjecto; sed accidens potest divinitus existere sine subjecto, velut in Eucharistia Fides docet: ergo. Teriò: Forma substantialis materialis potest divinitus existere sine materia: ergò etiam materia sine forma. In his argumentis mirè quidem triumphant, verum in quo sibi tantopere applaudant, haud dispicimus; nam ad primum R. quod in hoc casu objectionis humanitas Christi habeat actum primum substantialiem, nempe animam rationalem, unde etiam potest actum secundum, nempe existentiam à Verbo Divino desumere, maximè cum Verbum eminenter omnem existentiam creatam contineat: contrarium evenit in altero. Cæterum nos non dicimus, quod existentia debeat semper à forma deri-

derivari, sed quòd nequeat communicari materiæ, tanquam actus secundus, non præsupposito primō. Secundum argumentum solvit ipse S. Doctor (q) his verbis : *Magis implicat materiam esse sine forma, quam accidens sine subjecto, eò quòd accidens, cùm sit forma, sit actus quidam, materia autem secundum id, quod est, est ens in potentia.* Unde accidens, cùm ex se, non obstante quòd sit avulsum à subjecto inhæsionis, sit actus specificus, non haberet existentiam, seu actum secundum, quin in sua linea haberet primum; secus sit in altero, ut constat ex rationibus assertionis. Neque urgeant : Major est connexio accidentis cum subjecto, quam materiæ cum forma substantiali : Nam dico : quod major sit connexio materiæ cum forma, quam accidentis cum subjecto, quia materia actualitatem essentiæ à forma accipit, secus verò accidens à subjecto, eò ipso quòd accidens ex essentia sua sit actus in certa specie constitutus. Ad tertium eadem est responsio. Sed replicant : Omnis effectus secundarius potest suppleri à D E O ; atqui effectus secundarius formæ est tribuere materiæ existentiam : ergò. R. dist. maj. Omnis effectus secundarius potest à D E O suppleri præsupposito effectu primario Conc. secus N. maj. Si instant : Quidquid D E U S facit mediante causa creata, hoc potest facere se solo; sed mediante forma facit materiam existere : ergò etiam potest illum facere existentem se solo. Sed hoc telum in nos intortum facile excutimus retorquendō : Quid-

Quidquid DEUS facit mediante causa creata, hoc potest facere se solo; sed DEUS mediante causa creata v. g. anima rationali, constituit materiam in specie humana: ergo etiam id facere potest se solo. Cæterum dicta propositio est tantum vera respectu causæ efficientis, non verò respectu materialis, aut formalis, quia hæ causæ important aliquam imperfectionem, cùm causent per modum entium incompletorum intrinsecè se communicandō toti composito, quod in DEUM cadere non potest; non sic causat causa efficiens.

X.

Quemadmodum suprà diximus, dari aliquod subjectum commune mutationum substantialium ex natura sua incompletum ac compleibile per aliud, ita pro ordine & connexione rei denuo cum tota Schola Peripatetica asserimus dari complementum materiæ substantialie, collocaans illam in specie completa, & determinans ad certas operationes, quas in quolibet ente diversissimas experimur, quod complementum formam substantialiem Aristotelici nuncupant: hanc definit Aristoteles, (r) quod sit *ratio ipsius*, quod quid erat, esse rei: Seu quod idem est sed clarius: quod sit actus primus physicus substantialis simplex unum per se cum materia constituens. Dari talem actum, talèque complementum materiæ substantialie, ratio suadet primò, quia omnis pars ordi-

ordinatur ad totum naturaliter , exigitque saltem connaturaliter aliam partem , à qua compleatur : ergò , cùm detur materia prima tanquam pars substancialis incompleta , debet quoque dari alia pars , quæ illam in ratione totius compleat , & ad specificum esse substancialē determinet. Secundò , quia si , præscindendo etiam à Fide , ex tot tāmque mirè diversis operationibus humanis colligimus formam substancialē , quæ sit illarum radix & principium , cur non foret nobis colligendum tale principium in reliquis seu animatis , seu inanimatis , cùm æquè videamus similes diversas dispositiones & operationes . Profectò si homo , ens omnibus entibus materialibus perfectius , est compositum ex materia & forma , & per consequens non attingit perfectiō nem simplicitatis substancialis ; multò minūs reliqua entia purè materialia , & homine longè inferiora dici possunt simplicia , posséque tot operationes diversas independenter ab aliqua forma distincta producere , quas tamen non potest homo . Teritiò : Homo eodem modo sentit , nutritur &c. quô cætera animantia : item eodem modo discedente anima desinit in homine omnis motus , quô desinit in cæteris viventibus , dum intereunt : ergò si hæc & similia in homine arguunt principium , & radicem substancialē harum operationum , cur non etiam in aliis viventibus . Sanè si hominis corruptio non fit per membrum corpusculorum dissolutionem , sed per separationem formæ substancialis à materia , cur , com-

compello Atomistas, non idem dicendum de corruptione aliorum viventium, quæ non aliter corrumpuntur, atque homo. Quod testatur S. Scriptura, ubi Ecles. 3. legitur: *Unus interitus est hominis & jumentorum & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, ita & illa moriuntur.* Si dicas cum Atomistis, præcindendo à Fide etiam in homine omnia per atomos explicari posse. R. Sed falso: non enim ideo verum est, quod in homine detur forma substantialis, quia Fides docet, sed quia hæc verè est in homine, ideo Fides docet. Si iterum dicas, quod detur in entibus pure materialibus aliqua qualitas occulta, quæ continet virtute primas qualitates, earumque est principium, à quibus deinde reliquæ operationes orientantur. Sed contra est imprimis, quod nulla sit necessitas talem qualitatem adstruendi: ergo &c. Dein illa occulta qualitas, cùm sit accidens, & ens, debetur alicui substantiæ; non autem potest deberi materiæ, quæ de se est indifferens ad quælibet accidentia recipienda: ergo debetur alicui alteri in eodem supposito, & illud erit forma substantialis talis suppositi. Quartò denique suadent, dari formas substanciales tum ipsæ quotidianæ generationes substanciales, tum essentiales differentia, quæ inter res animatas & inanimatas reperitur, tum demum quotidiana reductio aquæ v. g. calefactæ ad pristinum frigus, quæ omnia sine formis substancialibus salvari nequeunt. Si dicant Atomistæ nullum corpus ab alio differre substancialiter; dicimus & nos id ipsum

ipsum fidem humanam superare , & communis
 omnium hominum judicio refragari dicendō, dulce Saccharum ab amaro sale, leonem à truncō,
 hominem à cadavere non plus differre, quam pa-
 rietem album à nigro. Si alterius dicant : Etiam
 species Sacramentales vini calefacti se reducunt
 ad pristinum frigus , quin ibi admittatur substancialia exigitiva frigoris : ergo pariter &c. Nam
 contra est , quod in illo casu DEUS miraculosè suppleat vires activas formae substancialis , producendō per actionem novam frigus succedens calor deficienti , & hoc ad occultandum mysterium : quæ ratio non urget in altero casu. Si de novo opponant : Formæ materiales insunt subjecto : ergo sunt accidentales, & non substanciales. Rē dist. ans. insunt subjecto completo N. incompleto subdistinguuntur. Ita ut sint prima radix activa conc. secus N. ans. & conseq. Si urgeant. Formæ materiales majorem habent dependentiam à materia , quam accidens physicum à subjecto ; sed forma , quæ dictam habet dependentiam à subjecto, est verè accidens physicum : ergo R. & simul N. suppositum , quod summa dependentia accidentis à subjecto sit adæquatum constitutivum accidentis physici , Nam si hoc admittatur, etiam admitti debet quamlibet creaturam esse accidens : quælibet enim habet majorem dependentiam à Creatore (absolutè enim repugnat existere creaturam sine actuali sustentatione DEI) quam accidens à subjecto, ut consideranti patet. Ceterū si dicant : Si darentur formæ substancialia

tiales materiales , aut omnes crearentur , aut præexisterent in materia ? non omnes crearentur , quia ut plurimum educuntur ; nec omnes præexisterent in materia , quia formæ summè contrariæ nequeunt existere in eadem materia . Nam admissa prima parte , dist . secundam . Si formæ materiales præexisterent in materia potentialiter , tunc etiam existerent formæ sibi contrariæ in eadem materia potentialiter conc . simul existerent physicè N . Certè non repugnat formas summè contrarias in eadem materia simul potentialiter existere , quia hoc nihil aliud significat , quam quod ex eadem materia possint ab agente naturali formæ contrariæ educi , concurrente ad hoc materia in genere causæ materialis .

XI.

Licet forma substantialis actueta , determinet materiam , dēque speciem composito , nequit tamen propterea dici tota quidditas compositi substantialis . Ita communis contra paucos , quos arbitramur potius in voce lascivire , quam communis sententia refragari ; etenim si per quidditatem intelligatur principium formaliter determinans , seu ultima ratio actuativa , & specificè differentialis alicujus corporis naturalis ab alio , tunc perlibenter admittimus solam formam esse totam quidditatem compositi physici ; sin vero nomine totius quidditatis veniat adæquata essen-

tia

tia entis completi substantialis (qualiter communiter intelligi solet) tunc repugnamus & pri-
mò quidem ideo, quia Symbolum S. Athan. ex-
prespse dicit : *Sicut caro & anima rationalis unus est
homo, ita DEUS & homo unus est Christus* ; atqui nec
solus DEUS, nec solus homo est Christus ; ergò
etiam nec sola caro, nec sola anima rationalis est
totus homo ; Secundò quia in definitione entium
naturalium non tantum ponitur forma, sed eti-
am materia : Sic homo definitur esse composi-
tum constans ex corpore & anima. Tertiò: Juxta
omnes compositum est aliquod totum ex parti-
bus consurgens ; sed implicat, ut una pars sit
totum ex partibus consurgens ; aliàs principium
lumine naturæ notum : *totum est maius sua parte*,
falleret : ergò forma nequit esse tota quidditas
compositi physici : bene proinde S. August. (s)
dixit : *anima non est totus homo, sed melior eius
pars.* Si opponis primò : Per solam formam com-
positum adæquate distinquitur ab aliis : ergò
etiam per solam formam constituitur. Nam R.
retorquendo per solum rationale juxta illos (qui-
bus hæc definitio hominis : animal rationale vi-
detur legitima) tanquam prædicatum differen-
tiale homo à cæteris animalibus differt : ergò etiam
per solam rationalitatem homo constituitur adæ-
quate, quod ipsi AA. haud admittunt. Unde
sicut homo metaphysicè acceptus componitur
ex genere & differentia, ita compositum physicum
ex materia & forma tanquam partibus, quarum

una est indifferens , altera verò determinativa & completiva. Si opponis Secundò : Forma substantialis est adæquatum determinativum compositi ; ergò etiam adæquatum constitutivum illius. Nam R. imprimis similiter retorquendo sicut prius. Deinde dist. ans. est determinativum in esse compositi N. in esse talis compositi conc. Nam constituere , seu determinare compositum in esse compositi spectat ad singulas partes compositi , cùm quacunque earum deficiente non habeatur compositum ; determinare verò compositum in esse talis compositi , est solius forma substantialis , quæ est adæquata ratio , cur hoc compositum sit potius constitutum in hac specie , quàm in altera. Si replicas : In artefactis tota quidditas habetur per solam formam : ergò etiam in naturalibus. R. si artefacta accipiuntur ut reduplicative talia Conc. si accipiuntur specificative , & secundum omne id , quod dicit opus artefactum N. Materia respectu operis artefacti quæ talis se habet materialiter , & extrinsecè : è contra compositum æquè intrinsecè respicit formam , quàm Materiam , adeoque secundum utramque partem consideratur à Physica. Si opponis Tertiò : Homo senex idem est , qui puer , & tamen materia , quæ est in puero , sensim deperditur , alia & nova succedente : ergò determinata materia non est de essentia hujus hominis determinata. Sed R. duplarem spectari posse in videntibus

tibus materiam : unam principaliorem , quæ & primigenia , & minimum naturale passim à Philosophis audit , quæque nunquam deperditur , & sic de essentia cuiuslibet compositi est ; aliam , quæ adventitia & secundigenia nuncupatur , quæque successivè minui , & accrescere potest . Ex quo patet , quòd senectus non mutet essentiam , sed tantummodo integratatem hominis : adeoque , quòd non tantum moraliter , ut aliqui putant , sed etiam physicè senex idem homo maneat , qui fuit puer . Sed rogas , cur materia primigenia semper permaneat . R. quia si deficeret , deberet deficere per nutritionem , quod dici nequit ; nam antequam intelligatur fieri nutritio , debet intelligi anima unita cum sua materia , seu minimo naturali , cùm anima non operetur has actiones , nisi ut est unita corpori : ergò requirit saltem illud minimum naturale , quod minimum est materia primigenia .

XII.

VIx non apud omnes certum est plures formas substantiales , si communis rerum conditio attendatur , non posse in eadem materia componi juxta illud : *Generatio unius est corruptio alterius.* Num verò hic naturæ ordo ita in Omnipotentis DEI potestate sit positus , ut plures substantiales formæ eidem materiæ parti uniri possint

possint , acriter hac super re contendunt Thomistæ & Recentiores . Nos , Thomisticæ adhærentes parti , asserimus nec per potentiam DEI absolutam posse fieri , ut plures formæ substanciales simul informent eandem materiam . Ità expresse docet S. Doct. (t) inquiens : si anima intellectiva unitur corpori ut forma substantialis , impossibile est , quod aliqua forma substantialis præter eam inveniatur in homine . Excipient Recent. cum Scot. dicentes S. Doct. tantum sensisse id naturaliter esse impossibile , nequaquam verò docuisse , quod DEUS huic naturæ ordini contravenire nequeat . Sed quid si ex eodem Angel. Doct. planum fecero , hanc A A. interpretationem merè esse confitam , gratisque assumptam ? Audiamus proin , si lubet , eundem citatō locō ita differentem : Si igitur ita esset , quod præter animam intellectivam præexistenteret alia forma substantialis , per quam subjectum animæ esset ens actu , seque-
retur , quod anima non daret esse simpliciter : & per consequens , quod non esset forma substantialis . Jam sic ad hominem (præfiscinè dixerim) ostendo : Implicat non tantum naturaliter , sed etiam per absolutam DEI potentiam , ut anima intellectiva non sit forma substantialis ; sed si præter animam intellectivam alia forma substantialis præexistenteret in homine , anima non foret forma substantialis , ut ex S. Doctoris verbis liquet : ergo etiam implicat per absolutam DEI potentiam , ut aliqua forma substantialis præter

ter animam intellectivam inveniatur in homine.
 Verum non modò authoritas S. Doctoris , sed
 ipsa quoque multiplex ratio nobis suffragatur.
Primo : quia illæ duæ formæ substanciales , quæ
 eandem materiam informarent , essent substanciales & non substanciales , essent , ut fert hypothesis , sed etiam non essent , quia nulla ex his fo-
 ret actus primus , dans materiæ esse simpliciter
 primum ; siquidem actus primus essentialiter
 exigit , ut non presupponatur aliud actus pri-
 mus , sicut subjectum primum nequit presuppo-
 nere aliud subjectum primum ; sed in hypothesi
 AA. forma una scilicet unus actus primus præ-
 supponeret alteram formam ; nempe alterum
 actum primum : ergo. Sed quid si , reponunt ,
 tales formæ simul advenirent materiæ , utique
 nulla illarum daret esse primum ante alteram ?
 Repono & ego : nonnè quævis illarum forma-
 rum ita est separabilis ab altera , ut una pereun-
 te maneret adhuc ens , & unum per se ? affir-
 mant , ut puto , sed insto : illa autem forma non
 est actus primus substancialis , ex cuius ablacio-
 ne adhuc maneret unum per se , nec perit totum
 substancialie : ergo. *Secundò* : quia materia à
 duabus formis substancialibus nec acquireret du-
 ples esse primum , nec unum : non duplex ,
 quia id esse vel foret specificum , vel individuale ;
 non individuale , una enim numerō materia du-
 ples esse individuale simul habere non potest ;
 non etiam duplex esse specificum sine dupli-
 cie

esse individuali. Demum nec per illas duas formas acquireret unum esse, quia, sicut quælibet forma communicandō se ipsam materiæ dat aliud esse ab altera, ita & aliud esse simpliciter primum, quam altera. *Tertiò*: implicat eidem parti ceræ imprimi formam Cæsaris, & formam leonis: ergo etiam implicat eandem materiam informari a forma hominis, & à forma leonis &c. Mittimus absurdâ recensere, quæ sequentur, si in eodem homine ponerentur divinitus duæ animæ, vel anima rationalis, & anima leonis. Certè posset talis homo ratione unius peccare, ratione alterius mereri: ratione unius damnari, ratione alterius salvati &c. Sed juvat audire, quid contromoveant AA. *Movent primò*: Non implicat DEO duo corpora ponî penetrativè in eodem loco. *Secundò*: Possunt duæ causæ efficientes diversi ordinis eundem effectum simul producere. *Tertiò*: Possunt duæ formæ accidentales eidem subjecto inhærere: ergo etiam divinitus fieri potest, ut plures formæ substantiales informent eandem materiæ partem. Sed obmovent & Thomistæ, & quidem ad primum, respondent Conc. ans. N. consèq. dandō disparitatem, quod in casu primo non tolleretur aliquis effectus essentialis & privativus, bene vero talis tolleretur in formis eandem materiæ partem informantibus. Expulsio enim alterius corporis, cum sit tantum effectus secundarius positivus, ideo tolli potest à corpore quanto:

quanto : è contra expulsio alterius formæ est
 effectus secundarius privativus , & ideo à for-
 ma substantiali nullo modo tolli potest. Est au-
 tem effectus secundarius positivus ille , qui non
 ita intrinsecè imbibitur in effectu primario , ut
 sublato secundario effectu etiam tollatur prima-
 riū : effectus verò secundarius privativus ille
 dicitur , qui ita essentialiter est connexus cum
 effectu primario , ut sublato effectu secundario
 essentialiter etiam pereat ipse effectus primarius.
Instant : Effectus secundarius positivus quantita-
 tis potest tolli : ergò etiam secundarius privati-
 vus formæ. R. N. conseq. Effectus enim secun-
 darius positivus quantitatis , cùm non consistat
 essentialiter in non esse effectus primarii ; ideo
 potest tolli salvo effectu primario ; è contra ef-
 fectus secundarius privativus formæ essentialiter
 consistit in non esse effectus primarii , nempe in
 non dare esse primum , qui utique est inauferi-
 bilis salvo effectu primario , sicut ideo inauferi-
 bilis est à rationali negatio irrationalitatis , quia
 est effectus secundarius privativus rationalitatis.
Instantiæ secundo & tertio loco positæ vel ideo
 vim non habent , quia etiam probarent plane
 duas vel plures formas substantiales naturaliter
 posse informare eandem materiæ partem , quod
 ipsi AA. dicere renuant. Cæterum ad instan-
 tiam secundam R. dandò disparitatem , quod
 ideo duæ causæ efficientes diversi ordinis pos-
 sunt simul causare eundem effectum , quia non

caulant per sui propriam communicationem en-
titativam , sed per actionem distinctam : è con-
tra cùm duæ formæ caulent immediatè dando
se ipsas , sempérque influant formaliter , quan-
tum possunt , ideò nequeunt informare eandem
materiam , darent enim esse primum , &
non darent.

Iisdem fere rationibus inducti , tam formas
partiales substantialiter diversas , quām for-
mam corporeitatis distinctam à forma speci-
fica totius fictitias pronunciamus . Etenim si
ante adventum formæ specificæ præcederet in
materia forma Corporeitatis , aut quæcunque
alia forma partialis manens simul cum forma
specificæ in eadem materia , quām plurima
veritati Philosophicæ repugnantia sequerentur ,
& quidem Primi formam totalem supervenien-
tem materiæ non dare esse simpliciter , utpo-
te jam præhabenti esse dependenter à forma
corporeitatis . Secundi nec esse formam sub-
stantialem , non enim daret materiæ esse pri-
mum , sed secundum . Tertiū animam adve-
nire materiæ jam substantialiter completæ ,
quod ostenditur : anima nequit completere ma-
teriam in ratione viventis , quin eam simul
compleat in ratione substantiæ , sed in ratione
substantiæ per AA. jam est completa per for-
mam Corporeitatis : ergo anima superveni-
ens materiæ ut informatæ formâ corporeitatis ,
advenit ei jam substantialiter completæ Quarto
denique ex materia nihil simpliciter generari
posse

posse , sed tantum secundum quid : quod enim simpliciter generatur , ex simpliciter non ente fieri debet , ut Arist. l. de generat. loquitur ; materia autem informata jam aliquam formam substantiali partiali non esset non ens simpliciter : ergo. Si dicas : Anima rationalis non est corporea , quomodo ergo denominabit materiam corporream ? sed quid dices , si reponerem : anima rationalis non vegetat , non sentit , quomodo ergo denominabit corpus vegetativum , & sensitivum ? Utique dices , quod nos , animam nempe non esse corpoream formaliter ut quod , bene tamen virtualiter & ut quo. Sed instas : quid animae dat viventi , illud dat in genera causae formalis : ergo etiam ly esse corporeum daret in genere causae formalis ; sed quid alteri aliquid dat in genere causae formalis , illud debet in se includere formaliter : ergo etiam anima deberet formaliter in se includere esse corporeum. Sed id ipsum eadem retorsione infringitur. Plura de formis partialibus adhuc restarent dicenda , sed quoniam voluntate Superiorum plura folia pro hac menstrua certatione non permittentium jubemur manum à tabula tollere , principiis nostris non aliud constituimus finem , quam ipsum primum Principium , à quo origo omnis boni , & in quo ultimus noster consistit


F I N I S.

(a) 1,

- (a) I. Nat. Deo. C. 30.
(b) L. 2. Phys. C. 1.
(c) 6. Metaph. C. 1.
(d) L. 2. Phys. C. 1.
(e) L. 10. de veritate rerum. C. 51.
(f) I. Phys. text. 42.
(g) I. Phys. text. 67.
(h) Tit. de Administrat. Sacrament. C. 15.
(i) L. 1. Phys. text. 82.
(k) 7. Metaphys. text. 8.
(l) L. 1. de ortu & interitu text. II.
(m) 9. Metaphys. text. 16.
(n) I. Cont. Gent. c. 43.
(o) Tom. 2. Philos. Disput. 5.
(p) I. p. q. 66. a. 1.
(q) I. p. q. 66. a. 1. ad 3.
(r) L. 7. Phys. text. 28.
(s) L. 3. de Civ. C. ult.
(t) I. p. q. 76. a. 4. in Corp.

I. O. G. D.







300.

86

